

»ut non illius opinione, sed Christi sententia dogma firmaretur.»

Vide *Maximi* sententiam cum similitudine lucernae, supra: (Thes. XLIX.)

Concil. Gener. Ephes., can. 9, explicitis verbis supponit Christum accepisse a Sp. Sancto ad patranda miracula efficaciam (τὸ ἐνεργεῖν), et de facto explevisse (ἐνεργήσαε); damnat autem dicentes, quod hanc efficaciam et potentiam ab Spiritu acceperit tamquam ab alieno, et non tamquam a proprio Spiritu. Ergo erat in Christo quaedam potestas participata et instrumentalis, a divina procedens, ad opera miraculosa efficienda. In Can. 11, definit: «Car-nem Domini... vivificatricem esse, quia facta est propria ipsius »Verbi, cuncta vivificare valentis.» Jam vero Verbum non vivificat occasionaliter vel moraliter: ergo neque de hac vivificandi ratione intelligere oportet efficaciam humanitatis ad vivificandum, quam a Verbo participat.

Sophronius, in Synod. epist, a Synod. Oecum. VI. approbata ut catholica et orthodoxa, de Christi miraculis omnibus ait: «Quae omnia ultra naturam et sermonem humanum effecta, di-vinae Verbi Dei essentiae atque naturae profecto existebant indi-cia, etsi per carnem agebantur (ἐνεργεῖτο) et corpus.» Ergo humanitas erat verum actionis physicae instrumentum, et non tantum causa moralis vel occasionalis.

240. 3.º Eatonus S. Scriptura et SS. PP. tribuentes Christo, ut homini, opera miraculosa, non deberent intelligi de propria et physica efficientia, quatenus hanc creaturae concedi repugnat. Sed non est ulla repugnantia in eo quod Christus, ut homo, physice miracula efficiat: ergo. *Maj.* patet; tum quia Christus dignus est tali virtute si haec non repugnat: tum quia potentia ad opus aliquod debet, per se loquendo, intelligi naturae operis accommodata: si ergo accepit Christus virtutem ad opera miraculosa, et haec virtute physica effici oporteat, talem illam fuisse existimandum.

Min. prob. Nulla potest fingi repugnantia in eo quod Christus physice operatus sit miracula, nisi quatenus haec sunt supra natu-ram opera, et Deus nequit per creaturam aliquid efficere quod superet naturae vires. Atqui hoc est plane falsum: ergo. *Min.* prob., et quidem evidenter. Deus elevat animae potentias ut physice eliciant actus supernaturales, ut supponimus ex Tract. *de Gratia*: ergo.

Confirm. Non minus requiritur potentia passiva physica ad recipiendum actum vel habitum supernaturalem physicum, quam potentia activa ad eundem physice efficiendum. Atqui elevari potest potentia passiva creaturae ad recipiendum physice actum et habitum supernaturalem, licet nullam naturalem prae se ferat ad eum

proportionem: ergo et potest elevari ad eundem physice peragen-dum.

241. Obj. 1.º SS. Patres et Concilia excludunt humanitatem ab effectione miraculorum: sic Leo pp. «Agit utraque forma quod »proprium est: Verbo, scilicet, operante, quod Verbi est, et carne »exequente, quod carnis est; unum eorum coruscat miraculis, aliud »succumbit injuriis.»

Resp. Excludunt humanitatem, quatenus virtute propria et prin-cipali agentem; conc. Virtute participata et instrumentali; nego.

Etenim S. Damascenus modum agendi et patiendi Christi exponit ita: «Patiendi carni connexa erat divinitas, salutare crucia-tus efficiens; operanti Verbi divinitati mens sancta conjuncta erat, »intelligens ea quae peragebantur. Ac divinitas quidem corpori »praerogativas suas impertiebat; interim autem ipsa corporis dolo-rum expers manebat. Non enim quemadmodum divinitas, per »carnem operatur (ἐνεργεῖ), ita etiam per divinitatem caro ipsius per-»petiebatur. Divinitatis enim organum caro fuit... Non enim hu-mano more humana factitabat, qui non homo solum, verum et »Deus erat; unde passiones quoque ipsius vivificae fuere et saluta-res; nec divina rursus divino modo agebat, quippe qui non Deus »tantum, sed insuper homo erat: quamobrem tactu, et sermone, »aliisque ejusmodi divina signa patrabat. (εἰργάζετο)» (1).

Ex his, et aliis ad probandum adductis, patet, actionem partici-patam et instrumentalem non negasse Patres humanitati, sed po-tius concessisse. Quod si haec humanae naturae ad signa coopera-tio non nisi moralis extitisset, vel occasionalis, nihil differret a co-operatione divinitatis ad passiones: atqui hoc plane reprobatur *Da-mascenus*. A morali enim divinitatis ad passiones cooperatione salutare factae sunt, quin illa pateretur: ex cooperatione vero car-nis ad miracula, organum illa fuit divinitatis per quod operabatur, praerogativas ipsius participans.

242. Obj. 2.º Nequit concipi humanitatem physice cooperari ad miracula efficienda, nisi virtutem aliquam praehabeat. Sed ad mi-raculosa opera non est in creatura virtus ulla: ergo.

Resp. Dist. *min.* Non est ulla virtus actualis; conc. Obedientialis; nego. Etenim, quemadmodum creata natura ita elevari virtute Dei potest, ut suscipiat unionem hypostaticam, cujus actuatio et per-fectio quasi infinite superat potentiam passivam creatam; ita eleva-ri potest quolibet ens creatum ut, per Dei auxilium et supernatura-lem indebitumque concursum, efficiat, tamquam Dei instrumen-tum, opus miraculosum: non minus, sane, exigit respectum passi-

(1) L. 3, c. 16, (Migne n. 236).

vum ad actum potentia passiva, quam potentia activa respectum activum ad effectum. Cur, igitur, in potentia passiva concedenda est obedientialis potentia ad quamlibet supernaturalem elevationem, et negabitur in potentia activa?

THESIS LXIV.

Habuit Christus D. corpus perfectum, quoad potentias, et bene dispositum, quoad temperamentum qualitatum.

243. *Nota.* Sermo est de potentiis illis quae corpus anima informatum naturaliter comitantur, uti sensus, vegetandi virtus et locomovendi, etc. Temperamentum autem intelligitur illa complexio et proportio qualitatum, quas exigit perfectio corporis et plenus facultatum usus, tum animae, tum corporis seu totius hominis.

Prima pars proxima fidei, et probabilius de fide, dicenda; secunda autem certa.

I.^a Pars prob. 1.^o Conc. Later. (sub Martino I, can. 9) decrevit: «Si quis secundum SS. Patres non confitetur, proprie et »secundum veritatem, naturales proprietates deitatis ejus (Christi) »et humanitatis indiminate in eo et sine deminoratione salvatas, »condemnatus sit.»

Item Eugenius IV, (in Decreto pro Jacobitis): «Firmiter »credit... Filium Dei... veram hominis integramque naturam sibi copulasse, ut quidquid est hominis non sit a deitate divisum, utra- »que natura in suis proprietatibus permanente.»

Et Syn. VI, oecum. «Per omnia similem nobis absque peccato... salvata proprietate utriusque naturae... tam miracula »quamque passiones, per omnem sui dispensativam conversatio- »nem, veraciter demonstravit.»

2.^o Usum fuisse Christum corporeis potentiis, uti visus, auditus, tactus, locomovendi, cibum capiendi, etc., ex SS. Evangeliiis passim constat.

3.^o Ex SS. Patribus perpendas, supra (Thes. XLIX), Hippolyti Portuensis testimonia, Maximi et Athanasii.

4.^o Theologico argumento confirmari potest. Nam, uti supra probatum fuit, integram et perfectam assumpsit Verbum humanam naturam. Sed corporis potentiae comitantur naturam humanam perfectam; per illas enim est *principium* proximum agendi: ergo.

Obj. Isaias (c. LIII.) ait: *Vere languores nostros ipse tulit.* Atqui innumeri sunt morbi quibus privantur homines corporis facultatibus: ergo et Christus hujusmodi defectu laborare debuit.

Resp. Explicatur Isaiæ dictum: tulit nostros languores moraliter vel physice, formaliter vel aequivalenter; conc. Physice semper et formaliter; nego. Hac de causa multiplici sensu exponunt Patres ea prophetiae verba: aut quia miraculis Christus languores sanavit hominum; aut quia meritis suis salubres nos reddidit aegritudines nostras; aut quia in genere voluit, licet non singillatim et in specie, partem in ferendis angustiis et doloribus habere, etc.

244. II.^a Pars prob. 1.^o Ipse Deus immediate hanc sibi domum aedificavit ex purissimae et perfectissimae Virginis sanguine. Sed Dei perfecta sunt opera: ergo bene dispositum sumsit corpus. Unde, sicut Adam, et quoad animam et quoad corpus, perfectum Deus efformavit, a fortiori hominem Christum.

2.^o Corpus ut animae inserviat destinatur, tamquam pars inferior superiori: sed anima Christi omni perfectione, etiam naturali, ornabatur: ergo et corpus. Videmus, nempe, docente experientia, optime temperatum corpus non parum ad perfectionem animae conferre.

3.^o Deus hostias sibi puras et sine ulla macula praecipiebat offerri: sed in oblationem et hostiam Deo gratam offerendam corpus suscepit Christus, (1): ergo et perfectum ac bene temperatum.

Confirm. Deformitates et maculae nihil ad redemptionis finem conferebant: sed Christo debebatur per se omnis perfectio sive animae sive corporis, nisi redemptionis scopus aliud exigeret: ergo optime temperatum corpus et sine macula quacumque suscepit, ipso attestante Propheta (2): *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede et regna.*

245. Obj. Isaias dixit (3): *Non est ei species, neque decor; et vidimus eum et non erat aspectus, despectum et novissimum virorum... unde nec reputavimus eum.*

Resp. cum Tertulliano: quatenus per macerationem, passionem et tormenta deformatus fuit offerens, cum vita corporis, etiam speciem et perfectissimam naturalem complexionem; conc. Quasi talis fuerit Christus a nativitate; nego. «Sicut insignis perficiendis miraculis fuit, ita gratiosissimus fuisse dicitur;» ait Chrysostomus (4): Hieronymus autem dicit (5): «Abs- »que passionibus corporis, universis pulchrior est, Virgo de Vir- »gine, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo natus est.»

Coroll. Christus D. nullam passus est aegritudinem, quae a vi-

(1) Hebr. X, 5.—(2) Ps. XLIV, 3, 5.—(3) LIII, 2, 3.—(4) Hom. 18 in Matth.—(5) Ep. 160 ad Principiam.

tiato temperamento, vel non sat recto rerum usu, vel nocentium elementorum ignorantia ortum ducere potest.

THESIS LXV.

Christus non assumpsit omnes perfectiones naturales commodas animae vel corpori, quae in actione aliqua vel passione, seu actuali dispositione consistunt: sed potius contrarios defectus, uti famem, sitim, defatigationem, dolorem, tristitiam, id est, fuit passibilis et mortalis. passus, mortuusque est.

246. Prop. est de fide certa et ex SS. constat Evangeliiis, apostolicis litteris, et prophetis.

1.º Prob. ex Synod. Oecum. VI, in thes. pracedenti: passionem enim sustinuisse clare docet (n. 243).

E Symbolis fidei: «Sub Pontio Pilato passus et sepultus est.»

2.º Ipse Dominus dixit (1): *Nonne haec oportuit pati Christum?* Et sic passim Evangelistae omnes. Et Isaias (2): *vere languores nostros Ipse portavit.*

3.º Christus venit ut a peccato nos redimeret, et a morte, ex peccato orta, liberaret, atque pro nobis Patri satisfaceret, factus obediens usque ad mortem. Sed corpus mortale naturaliter et communiter praedicti comitantur defectus, suntque hujusmodi ad exemplum et satisfactionem valde apti, nullamque praesupponunt in anima inordinationem: ergo congruebat ut tales Dominus assumeret defectus.

247. Obj. Ejusmodi a Christo suscepti defectus Judaeis quidem fuerunt in scandalum, Graeci autem illos existimarunt stultitiam. Ergo fini redemptionis non congruebant.

Resp. Dist. *ant.* Judaeis et Graecis haud credentibus non profuerunt illi defectus; conc. Dei vocationi consentientibus; nego. Hisce enim causa dilectionis, exempli et meriti defectus illi magnopere extitere. Inde agebat Bernardus (3): «Ego, fratres, ab ineunte mea conversione pro acervo meritorum, quae mihi deesse sciebam, mihi fasciculum collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei colligare, et inter ubera mea collocare curavi. Memoriam abundantiae suavitatis horum eructabo quoad vixero; in aeternum non obliviscar miserationes istas, quia

(1) Luc. XXIV, 26.—(2) LIII, 4.—(3) Serm. 41, in Cant.

»in ipsis vivificatus sum... Hunc et vos, dilectissimi, tam dilectum »fasciculum colligite vobis, et medullis inserite cordis, hoc munite »aditum pectoris; ut et vobis inter ubera commoretur. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias »Domini, levius vestras portabitis, ipso auxiliante Ecclesiae Sponso, qui est super omnia Deus benedictus in secula: Amen.»

SCHOLION.

De unione hypostatica post Christi mortem.

248. Anima Christi fuit quidem in Cruce a corpore separata; alias non fuisset vere mortuus, uti fides docet. Proinde, in triduo mortis non erat Deus homo, neque homo Deus; sed communicatio idiomatum locum habebat, hinc inter Deum et animam, inde inter Deum etiam et corpus mortuum. Quod ut pateat; ostendemus sequentem propositionem.

Dico I. Verbum Divinum non erat post mortem ab anima et corpore separatum, sed iisdem hypostatice unitum. Certa est haec communis theologorum sententia, et catholica doctrina.

1.º Ex Later. IV, c. *firmiter*. «Unigenitus Dei Filius... descendit ad inferos, resurrexit a mortuis et ascendit in coelum. »Sed descendit in anima, et resurrexit in carne, ascenditque pariter »in utroque.» Ecce in anima vivus descendebat, in carne mortuus è sepulcro resurgebat, in utroque redivivus et verus homo ad coelos ascendit.

Item ex Symb. fidei. «Filius ejus unicum... qui conceptus »est, natus, passus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos, resurrexit...» Atqui haec de Filio Dei non nisi per communicationem idiomatum vel cum corpore tantum, vel cum anima, vel cum utroque dicuntur: ergo cum corpore solo, vel cum anima sola, quemadmodum cum utroque simul, fuit hypostatice unitus.

In *Profes. fidei*, Conc. Tolet. XI, dicitur: «Missus Filius »passionem ipsam, salva divinitate sua, pro delictis nostris sustinuit, mortique adjudicatus et cruci veram carnis mortem excepit, »tertio quoque die, virtute propria suscitatus, a sepulcro surrexit.» Non ergo dimisit carnem, si hujus mortem excepit, si a sepulcro surrexit Dei Filius.

249. 2.º Athanasius (1) pariter: «Nonne divisus in duas »partes, ut homo, et in sepulcro et apud inferos agebat? Deitas nu-

(1) *De Incarn. Christi.*

»da non potuit ad inferos descendere...» Et alibi (1): «Expiratio-
»nem nemo dixerit Deitatis transmirationem, sed animae disces-
»sum.»

Sic August. (2), et Damascenus (3); Cyrillus autem ait (4): «Deum, qui totum hominem per suam cum illo conjunctio-
»nem in naturam divinam mutaverat, mortis tempore a neutra il-
»lius, quem semel assumpserat, parte recessisse. Numquam enim
»illum suorum munerum poenitet. Divinitas ergo voluntate qui-
»dem animum a corpore disjunctit, in utroque tamen se manere de-
»monstravit.»

3.º Ratio est, quia ad operandam nostram salutem divinitas na-
turam assumpsit. Sed salutem operata est divinitas etiam morien-
do, descendendo ad inferos, resurgendo, etc. Ergo et conjuncta
tunc divinitas erat cum utraque naturae humanae parte.

250. Confirm. Verbi cum corpore et anima conjunctio non pendet
ab unione illorum inter se: ergo hac dissoluta, illa dissolvi non de-
bebat: ordinabantur etenim anima ad corpus. corpus ad animam
mediante resurrectione, quemadmodum ad invicem ordinabantur
mediante conceptione cum primum condita fuere. *Ant.* patet ex su-
pra dictis (Thes. XXVI et XLIV).

Subsistentia enim est positiva perfectio personae, ita ut nequeat
natura aliqua constitui in esse personae et subsistentis, per hoc
quod aliquid negetur vel excludatur ab illa, sed per hoc quod ali-
quid positivum eidem adjiciatur. Atqui cum persona est composi-
ta, ut homo, non una pars tantum subsistit, sed utraque simul:
ergo partialem utraque exigit subsistentiam. Subsumo. Atqui Ver-
bum divinum praebebat humanae Christi naturae, quidquid specta-
bat ad rationem subsistendi; ergo partialem quoque utrique parti
tribuebat subsistendi positivam perfectionem.

Igitur dicendum; quemadmodum prius natura quam corpus et
anima unirentur, assumpta fuere a Verbo, ut per illud, non per se,
partialiter subsisterent (5); ita, a pari, postquam ad invicem, inter-
cedente morte, separata sunt, non debuerunt a Verbo dimitti, sed
in eodem partialiter subsistere, ut hoc positivum complementum
non ex se, sed ab ipso divino Verbo haberent. Aliter enim illud
accidisset inconveniens, quod notavit D. Thomas (6); scil.,
cum iterum corpus et animam assumpsisset Verbum, «vel non es-
»set facta unio secundum subsistentiam, vel corrupta fuisset sub-
»sistentia animae (et corporis) praexistens.»

Dices: Nonnulli PP. dicunt in morte Verbum animam et corpus

(1) *Adver. Apollin.* l. 1, c. 18. — (2) *Tract.* 47, in Jo. — (3) *L.* 3, c. 27. —
(4) *Orat. 1.ª de Resurrect.* — (5) *Supra*, Thes. 44, ad Obj. 1.ª — (6) *Q.* 6, a. 3.

dimisisse. Resp. Si haec de separatione hypostatica intelligantur,
erroneum illis sensum tribuis: interpretandi ergo sunt de separa-
tione protectionis, quatenus permisit divinum Verbum passionem
et mortem.

251. Dico II. Quae de corporis unione cum Ver-
bo diximus, eadem de sanguine Christi effuso
intelligas; quamvis non ita certo spectet ad fi-
dem, quia definitiones Ecclesiae non sunt adeo
apertae.

1.º In Syn. VI, Ses. 16, damnatur quidam haereticus dicens,
Christum in morte exuisse carnem et sanguinem, quod ad Mani-
chaeorum spectare errorem dixerunt PP.

2.º In Sacris Scripturis (1) et apud PP. sanguis Christi dicitur
pretium redemptionis nostrae. Unde ait (2) Augustinus: «San-
»guis Christi pretium est; tanti quid valet? Quid nisi totus orbis?
»Quid nisi omnes gentes?»

3.º Christus aequae de corpore et sanguine dixit: *caro mea vere
est cibus. et sanguis meus vere est potus; qui manducat meam car-
nem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo.* Trident.
autem docet, in sanguine consecrato esse per concomitantiam ip-
sam divinitatem. Jam vero haec indefinite et absolute dicuntur: si
ergo in triduo mortis Christi facta fuisset sanguinis consecratio, in
eo fuisset persona Christi; hoc autem unionem supponit hyposta-
ticam.

4.º Verbum divinum assumpsit hypostatice etiam sanguinem:
ergo neque illum dimisit qui ad integritatem corporis pertinebat:
sed talis erat sanguis in passione et morte effusus: ergo.

Maj. patet. Primo: ait Paulus (3). *Quia ergo pueri communi-
caverunt carni et sanguini. et ipse similiter participavit iisdem.*
Secundo: Concil. Ephesin. can. 5, ait: «Verbum factum
»est caro et communicavit, similiter, ut nos, carni et sangui-
ni.» Pariter, Concil. Alexand. cum S. Cyrillo dixit:
«Deum carnem et sanguinem assumpsisse:» quod quidem appro-
batum fuit ab Ephes. Conc. et a Synod. V. Gener. et a Chalcedonensi. Tertio: Gregorius Nazian. (4)
sanguinem Christi, non tantum sanguinem Dei appellat, sed
Deum: «Quam ob causam fusus est ille magnus et nobilis Dei et
»Pontificis et Victimae sanguis? Quaero cui tandem oblatum est
»redemptionis pretium et quam ob causam? Si pravo illi (diabolo),
»o gravem contumeliam! si non a Deo solum, sed Deum quoque ip-

(1) I Petr. I, 18, 19. — (2) In Ps. 65. — (3) Hebr. II, 14. — (4) *Orat.* 45, n. 22.

»sum, pro redemptionis pretio latro accipit... Si autem Patri...
 »quae ratio afferri potest, ut Unigeniti sanguine Pater oblectetur,
 »qui nec Isaac quidem a patre oblatum acceperit.»

252. **Nota.** Christum D. a mortuis resurrexisse, idque juxta Ipsius praedictionem, alibi demonstratum est; scilicet, in *Disquisit. II, De Religione*, n. 249, Vol. I.

THESIS LXVI.

Christus D. capax fuit infiniti meriti et satisfactionis.

253. **Nota.** 1.^o Meritum, natura sua, respicit praemium seu remunerationem: satisfactio autem refertur ad offensam. Praemium est remuneratio obsequii accepti: offensa est laesio honoris seu contemptus personae. Igitur, meritum est id quod est dignum praemio: satisfactio id quod compensat offensam, quatenus meretur ut remittatur. Ex quibus patet, non omne meritum esse satisfactionem, sed omnem satisfactionem esse meritum.

Nota II.^a Ratio meriti exigit libertatem, quia quod fit ex necessitate non potest obsequium reputari; puta, si quis transeunte rege, ex alieno impulsu cadat et genuflectat ante illum. V. supra (*Thesis LXVI*).

Satisfactio est directa, vel indirecta: quatenus compensatur offensa, vel poena offensae debita.

Nota III.^a Prima pars, nempe, de merito et satisfactione, est de fide; secunda probabilior et communior sententia cum D. Thoma, Suarezio, etc., adversus Scotum et ejus discipulos.

254. I.^a pars. prob. 1.^o Ex Trident. (1): «Causa justificationis meritoria, Dominus N. J. C. qui in ligno Crucis justificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit.» Et rursus. «Dum »satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis »nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes effecimur.

2.^o Paulus (2) ait: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* Et Ps. 129. *Copiosa apud eum redemptio...*

3.^o Athanasius (3) dicit: «Corpus assumpsit, quod pro omnibus ad plenam satisfactionem sufficeret et mortem quasi stipulam igne consumeret, suis meritis et satisfactione.»

(1) Sess. VI, c. 7, et can. 32. Item, Sess. IV, c. 8.—(2) Colos. I, 14.—(3) *L. de Incarnat.*

Chrysostomus (1) etiam: «Multo plura quam debebamus »Christus pro nobis solvit.»

4.^o Christus poterat obsequia Deo praebere, poenas subire, et quidem plena libertate. Sed obsequia et poenae a Christo Deo oblatae poterant aequalitatem seu proportionem cum aliquo praemio, offensa vel poena prae se ferre: ergo poterat mereri et satisfacere.

255. **Obj.** Actio aliunde debita nequit esse meritoria et satisfactoria: sed actiones Christi, independenter a quolibet praemio vel offensa, erant Deo debitae: ergo nequaquam meritoriae.

Resp. dist. maj. Nequit esse meritoria et satisfactoria in actu primo; nego *maj.* In actu secundo; sudd. Si aliunde a Deo exigatur; permitto: si non petatur alia ex causa; nego *maj.*

Deinde **dist. min.** Erant Deo debitae, ita ut Christo permitterentur ad merendum et satisfaciendum; conc. Aliter, nego.

256. II.^a Pars prob. 1.^o Clemens VI. in Extrav. *Unigenitus*. «Unica gutta sanguinis Christi Domini, propter unionem ejus »ad Verbum, suffecisset pro redemptione totius humani generis... »In Ecclesia est infinitus thesaurus et inexhaustibilis ex meritis »Christi, de cujus consumptione aut diminutione non est aliqua »tenus formidandum, propter infinita Christi merita.»

2.^o Chrysostomus (ibid.) «Tanto plura pro nobis solvit, »quanto guttulam exiguam pelagus excedit immensum.»

D. Thomas (2) docet; quod passio virtutem habuit infinitam ex divinitate unita. Et alibi: «Oportuit ut actus satisfaciens »haberet efficaciam infinitam, utpote Dei et hominis.»

3.^o Satisfactio et meritum personae, quae est infinitae dignitatis, habent ad satisfaciendum et merendum infinitam efficaciam. Sed ejusmodi sunt satisfactio et meritum Christi: ergo.

Maj. prob. Meritum et satisfactio crescit ex dignitate et magnitudine obsequii, et obsequium crescit ex dignitate et magnitudine personae obsequentis: ergo, si persona est infinita, et obsequium. **Ant.** ex sensu communi constat. Sane, qui obsequium tribuit, se dimittit et illum, cui obsequitur, extollit: atqui quo ipse est celsior, ejus demissio est major, majorque alterius exaltatio; ergo meritum et satisfactio...

257. **Obj.** 1.^o Deus non potest dare praemium infinitum: ergo pariter repugnat meritum infinitum.

Resp. Dist. ant. Infinitum cathegorematicae; permitto: syncathegorematicae; nego *antec.* Unde meritum Christi assimilatur omnipotentiae, quae, ultra quamlibet perfectam creaturam, potest aliam perfectionem condere, non autem infinite perfectam: sic Christo majus dari potest juste praemium, quocumque jam accepto.

(1) In ep. ad Rom. c. V.—(2) Q. 46, a. 6, ad 6; et q. 1, a. 2, ad 2.

Obj. 2.^o Totum coalescens ex parte infinita et altera finita non est totum infinitum: nam ut *totum* potest amplius perfici, potest non amari a Deo, potest destrui, etc. Quod patet in composito Verbi et humanitatis. Sed meritum Christi est compositum ex dignitate Verbi et humano opere: ergo nequit esse infinitum. Ita Card. Lugo.

Resp. dist. *maj.* Non est infinitum secundum omnem rationem; conc., secundum aliquam rationem, puta, in ratione meriti; nego.

Sane ut aliquid sit *sub omni respectu* infinitum, nihil finitum habeat necessum est, debetque esse infinite amabile, necessarium, uno verbo, Deus: ut autem sit infinitum *juxta aliquam rationem*, sufficit et oportet ut contineat, formaliter vel virtualiter, quidquid est perfectionis in illa ratione; ita ut, tantum praestet solum, quantum complexum ex omnibus quae sub illa ratione continentur. Ita se habet meritum Christi: cum enim sit opus Homini Dei, eminenter continet omnes titulos quibus crescere potest meritum.

258. Obj. 3.^o Si meritum Christi infinitum esset, obligaret Deum ad omnia Christo, ut praemium, conferenda; puta, justis perseverantiam, peccatoribus poenitentiam, damnatis remissionem. etc. Sed hoc est absurdum. Ergo.

Resp. dist. *maj.* obligaret absolute; nego *maj.* Ad modum meriti, id est, accedente pacto; conc. Labor etenim operarii meretur justam mercedem, non autem cogit nisi facta conventionem. A fortiori apud Deum istud dicendum, qui ex aliis titulis dominus omnium existit.

Obj. 4.^o Merita Christi valorem a sanctitate participata humanitatis habent per unionem cum Verbo. Sed sanctitas participata est finita: ergo et valor meritorum Christi finitus existit.

Resp. dist. *maj.* A sanctitate participata tantum; nego *maj.* A sanctitate participata et ab ipsa persona Verbi; conc.

Praeterea, dist. *min.* Est finita simpliciter et infinita secundum quid; conc. Est undequaque finita; nego *min.*

Itaque merita Christi sunt ipsius Verbi, ut personae operantis; ideoque ex hoc capite habent dignitatem, in ratione meriti, simpliciter infinitam, quae non potest ullo praemio superari. Natura autem humana Christi est infinite sancta in ratione sanctitatis *participatae*, cum sanctificetur, quasi formaliter, ab ipsa sanctitate divina: propterea etiam merita Christi, ex hoc capite, dignitatem excedentem quodlibet praemium pure creatum infinite superant. ideoque sunt infinita secundum quid.

ARTICULUS II.

De Christo ut principio et causa generali.

THESIS XLVII.

Christus meruit nobis remissionem peccatorum, gratiam sanctificantem et vitam aeternam.

259. Propositio est de fide catholica.

Prob. 1.^o Ex Trident. (1). «Si quis dixerit homines, sine Christi justitia per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anath. sit.»

«Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerunt facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum... anath. sit.»

Haec confirmantur et declarantur ex cap. VII. ejusdem Sess. VI.

2.^o Apost. ait (2): *Gratia ex multis delictis in justificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiae et donationis et justitiae accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum... Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam justi constituentur multi... Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam, per Jesum Christum Dominum nostrum. Item: quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et glorificavit... Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et alibi (3) similiter.

Item S. Joannes (4): *Sanguis Jesuchristi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Denique vide Isai. (5): *Vere languores nostros...*

3.^o Confirmant Athanasius, et Chrysostomus supra (Thes. LXVII).

Hieronymus autem ait (6): «Ille redimitur, qui captivus est et in hostium veniens potestatem liber esse desierit... Sed quis est iste tantus et talis qui possit, pretio suo, totum orbem redimere? Jesus Christus Filius Dei proprium sanguinem dedit. et nos de servitute eripiens libertate donavit.»

(1) Ses. VI, can. 6, 7, 26.—(2) Rom. V, 16, 17, 19, 21; VIII, 30, 32.—(3) Hebr. X, 10.—(4) I Jo. I, 7; II, 2.—(5) LIII, 4, 5.—(6) In ep. ad Ephes. I, 7.

4.° Christus oblatuſ est pro noſtra juſtificatione et ſalute, ideoque et Salvator vocatur (1); tradituſ eſt ex voluntate Dei (2); ergo ſi non meruit noſtram juſtificationem et aeternam ſalutem, ideo erit quia vel eſt incapax merendi, vel merita illiuſ non ſufficiebant: ſed utrumque falſum eſt; ergo. *Min.* patet ſupra (Theſ. LXVII).

260. Obj. 1.° Multi non juſtificantur nec ſalvantur: ergo ſaltem pro omnibuſ non meruit Chriſtuſ.

Reſp. diſt. *conſequens*. Non meruit quoad ſufficientiam; nego: quod efficaciam, Subd. Culpa ipſorum; conc. Defectu meriti Chriſti; nego.

Obj. 2.° Eoſ qui juſtificantur, gratis juſtificari docemur (3): ergo non ex Chriſti merito.

Reſp. diſt. *ant.* Quatenuſ ipſi juſtificati id non merentur; conc. Quatenuſ id Chriſtuſ non meruerit; nego. Etenim (ibid.) Apoſtoluſ dicit, quod juſtificantur *per redemptionem quae eſt in Chriſto Jeſu*. Sed qui *emit* ſeu *redimit*, non gratis accipit.

Obj. 3.° Merituſ debet ad praemiuſ praecedere: ergo ſaltem non meruit Chriſtuſ remiſſionem, gratiam et vitam aeternam pro hominibuſ, qui ante Chriſtuſ extitere.

Reſp. Diſt. *antec.* Praecedere phyſice vel moraliter, id eſt, praeviſione; conc. Semper phyſice; ſubd. Communiter, ſeu, niſi fiat exceptio; tranſeat: aliter, nego. Deinde, nego *conſequentiam*.

SCHOLIA.

261. I.° Omne gratiae excitantis et adjuvantis auxilium, quo diſponitur homo ad juſtificationem, eſt ex merito Chriſti.

Haec eſt communis ſententia cum D. Thoma (4) et Sua-rezio (5). Et quidem.

1.° Trident. docet (6): «Declarat praeterea, ipſiuſ juſtificationis exordiuſ... per Chriſtuſ Jeſuſ, praevieniente gratia, ſumendum...»

2.° Apoſtoluſ (7) ait: *Benedixit noſ in omni benedictione ſpirituali in coeleſtibuſ in Chriſto*. Et rurſum (8). *Vocavit noſ... ſecundum gratiam, quae data eſt nobiſ in Chriſto Jeſu*.

3.° Hieronymuſ teſtatur (9): «Omnis gratia, quam conſequimur, in Domino noſtro et Salvatore completur.»

4.° Si non meruiſſet nobiſ Chriſtuſ omnia auxilia, quibuſ ad

(1) Matth. I, 21.—(2) Galat. IV, 4.—(3) Rom. III, 24.—(4) Q. 7, a. 9.—(5) D. 41, Sec. 2.—(6) Sess. 6, c. 5.—(7) Ephes. I, 3.—(8) II Timot. I, 9.—(9) In ep. ad Ephes. c. I.

juſtificationem diſponimur, redemptio non fuiſſet perfecta: ſed fuit perfectiſſima, utpote ex meritiſ infinitiſ; ergo. *Maj.* prob. Propter peccata, non ſolum debebamus gratia privari et vita aeterna; ſed etiam omnibuſ ſupernaturalibuſ auxiliis; ergo redemptio, etc.

262. II.° Omneſ gratiae quae homini juſtificato conferuntur, effectuſ ſunt meritoruſ Chriſti. Id quoque certum habendum.

1.° Trid. (1) docet: «Liberati jam a peccato, ſervi autem facti Deo, ſobrie, juſte et pie viventeſ proficere poſſunt per Chriſtuſ Jeſuſ, per quem acceſſuſ habuerunt in gratiam iſtam.» Item cfr. c. XVI, quod ſedulo perpendaſ.

2.° Ex Scriptura probatur, ut ſupra. Praeterea ait Dominuſ (2): *Sine me, nihil poteſtiſ facere*.

3.° S. Hieronymuſ (ibid.) confirmat. Et S. Bernarduſ (Serm. 13) ait: «Quidquid ſapientiae, quidquid virtutiſ te habere conſidiſ... deputa Chriſto.»

4.° Si non meruiſſet Chriſtuſ omneſ gratiaſ juſtificationem conſequentes, non perfecte meruiſſet vitam aeternam: ſed hoc dici nequit; ergo. *Major* patet: Nam gratiae ſubſequentes juſtificationem ordinantur vel ad perfeverantiam in gratia. vel ad meritum vitae aeternae; primum eſt neceſſarium ad vitam aeternam; ſecundum vel eſt quoque neceſſarium, vel ſaltem auget vitae aeternae coronam. Si ergo Chriſtuſ non meruiſſet, etiam pro juſtificatiſ, nec perfecte vitam aeternam mereri potuiſſet.

THESIS LXVIII.

Chriſtuſ D. ſufficienter ſatiſfecit pro univerſiſ peccatiſ hominuſ, tum ratione culpae, tum ratione poenae.

263. Nota: theſiſ eſt de fide. Vide ſupra quid ſit ſatiſfactio, (n. 253.)

1.° Pars. pr. 1.° Trid. (3) docet: Chriſtuſ noſ redemiſſe, et in ſanguine ſuo propitiatoreſ noſtruſ fuiſſe. Et can. 21 definitur eſſe Redemptoreſ, ideoque pro nobiſ ſolvit.

2.° Apoſtoluſ ait (4): *Dedit ſemetipſuſ pro nobiſ, ut noſ redimeret ab omni iniquitate*. Et Petruſ (5): *Non corruptibilibuſ auro vel argento, redempti eſtiſ de vana veſtra converſatione paternaſ traditioniſ; ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti, et incontaminati*.

(1) Sess. VI, c. XI.—(2) Jo. XV, 5.—(3) Sess. VI, c. 2.—(4) Tit. II, 14.—(5) I Pet. I, 18, 19.